DISCVRSVS
IO. FRANCISCI
SALDIGENVENSIS,

QVO EXCELLENTISS. PATRIS,
Præceptorisq; sui prognosticum de salute Illustriss.

HORATII SPINVLAE
S.R.E. CARD. AMPLISSIMI,

Ac Genuensis Ecclesiæ tunc Pastoris vigilantissimi probat, ac defendit.

BONONIÆ, M. DC. XVII.

Apud Sebastianum Bonomium.
Superiorum Permissu.

AD EXCELLENTISSIMVM

D. HORATIVM SALDVM

Patrem, ac Præceptorem Amantissimum.

HIERONYMVS PREVE.

AMBIT Dux fortis fortes duxisse sequaces;
Sic quoq; Fortunam consuluisse puto.
Nam te præcipuè sæuis agitauit in vndis;
Vt doctos aliques subderet imperio.
Non tamen hoc Virtus potuit perferre; sed inquit
Impero. iam natus pro Patre tela gerat,
Post hac, continuò iuueni cum cesserit hosti,
Virtutis discat pertimuisse decus.
Quid? prostrata iacet; bellum iam mutet, & arma;
Robore quosq; nequit, quærat amore viros.

AD LECTORES.

AFFABVLATVR *Græcus Apologista Cuculum de cantu cum Philomela contendisse, Asinumq́ auriculis luxuriātem pro Cuculo sententiam tulisse, & tunc Philomelam hominem appellaſſe: ſic & ego, viri ſapientes, Doctiſſimiq́, ſuauiſſimæ auis exemplo ductus appello vos, vt rationibus auditis, reiectaq́ imperitorum turba, quæ tantum ab euentu iudicare nouit, veſtram ſententiam proferre valeatis.*

DI-

DISCVRSVS.

LABORABAT Illustriss. Cardinalis Spinula omnium Medicorum consensu vrinæ ardore, leui quadam colli vesicæ excoriatione, flatibusq; hypochondriacis, nemine verbum faciente lapidem, aut vlcus in renibus adesse; cum ibi neq; dolore, neq; grauitate aliqua laboraret; nec amplius vel sanguinis, aut puris vestigium appareret: nullus autem de quapiã pulmonum affectione ne minimum quidem verbum fecit, nec facere poterat; non enim tussiebat, neq; malè spirabat. Per anatomen verò calculus in dextro rene adinuentus fuit quantitatis adeo paruæ, vt nullum grauitatis, aut doloris sensum induceret; nec non etiam quædam vlcuscula superficialia, quæ nullũ penitus dolorem causabant; pulmonis autem pars anterior alba comparuit, cineris colorem præseferens; cuius partes superiores tophaceas, calcinosas, friabilesq; materias continebãt, eiusdemq; coloris, quo erat substantia. Postpositis igitur pulmonũ morbis, qui, vt dicemus, vltimis supuenerũt diebus, nec illos mẽs humana præuidere poterat, qs mortẽ necessariã prẽnũciet, & breui futurã? Oĩbus .n. Doctoribus apertissimũ est posse renum calculos rũpi, & extrudi multò duriores, & quam ille maiores, non obstante Hippocratis sententia Epidemiorum sexto, vbi habet, Renum morbos non vidi curatos vltra quinquagesimum annum. Dupliciter enim morbus assu-

mitur,

mitur,aut recens,aut chronicus, ſicut etiam curatio:alia enim in perfecta morbi remotione conſiſtit, alia verò in ſola præſentis morbi ſolutione, etiamſi ad tale gignendum malũ remaneat diſpoſitio : ſicut etiam curari dicitur, qui in nullam aliam partem deriuato humore,ſed diſſipato,& cum in aliam deriuato curatur.Clarũ igitur eſt, vt docet Excellẽtiſs. Valeſius, Hippocratem ſermonem facere de chronico morbo, & de perfecta curatione;ſicut etiam de illa, quæ fit diſſipato humore: quod etiam experimento confirmat; aſſerit enim ſe vidiſſe ſenes à renum morbis ſubleuatos, reiecto lapide. Confirmat etiam, ni fallor,ratio, in qua ſenis fundatur authoritas: cum enim crudus, craſſuſq; humor, qui ad talem partem deſcendebat curari, ſiue euinci nõ potuerit, dum adhuc iuuenes eſſent,minus euincetur iam ſeneſcentibus. Vnde in naturaliter diſpoſitis, & aſſuetis ratio militat;non autem in noſtro caſu, in quo de nouo traxit originem, articularis morbi ſolutione, fęcibuſq; retentis; cum humidam regionem incoleret, in ſiccanatus,plurimiſq; negotijs immerſus,neq; corpus exerceret;vnde excrementorum maximus prouentus, quæ cũ non amplius ad articulos deſcenderent, nec euacuarentur,ad renes tranſmigrarunt, in illiſq; dictas affectiones cauſarunt; quod conſtat ex ſuperficialibus vlcuſculis, quæ multa carnis generatione non indigebant, & ex lapide paruæ molis, qui ad exitum parua apertione opus habebat; eò magis cum obſtructiones minus adeſſent,

quæ

quæ duo in Senibus difficultatem parere videntur, iuxta ſextum aphoriſmum ſextæ ſectionis: ſignum, inquam; non adhuc potuiſſe diſtillationem validas affectiones imprimere. Cum igitur accidentaliter, non autem ex eius natura, in dictos affectus incidiſſet, neq; adhuc tales renum diſpoſitiones habitum contraxiſſent, nil mirum ſi curaretur per alui fluorem præſtatum alternis diebus, iniecto clyſteri. Quandoquidem à Medicorum Principe ſcriptum eſt, prædictionum lib. 2. per alui fluorem, ſiue dysenteriam ſolui etiam, quod magis eſt, nodoſas podagras: quod ſi ſatis non erat, cum affectus à capitis di ſtillatione fierent, poterat etiam, vt iam decreuerat Pater, per nares deriuatio adminiſtrari, caputq; roborari, aut etiã ad prius aſſuetas partes attrahẽdo reuelli; quandoquidem idem Valeſius docet, non raro curari ſenes deriuato ad aliam partem humore: ex quo credit Hippocratem vidiſſe curatos. Quod ſi perfectè curari non potuiſſet, quod tamen eſt contra communem, & paternam experientiam, & prædictas rationes, nonne ad eius ſalutem ſatis erat, ſi præſens lapis reiectus eſſet, etiamſi ad aliũ gignendum apparatus remanſiſſet? Huiuſmodi enim lapidis reiectionem, in ſenibus facilius, quamin iuuenibus præſtari eſt manifeſtum; neque tamen plurimum ſenum incommoda vrgebant, cum tamen lapidis durities negotium faceſcere potuiſſet, quæ in iuuenibus maior eſt: habent enim vehementem calorem, qui lapidem magis indurat, fluentemq; humorem ſta-

tim

tim exiccat; vnde contrarietatis regula vehemētioribus indiget contrarijs: in senibus verò, cum minor sit calor, minus duri fiunt; ex quo facilius rumpuntur, & expelluntur: qua de causa tradidit Medicinæ Pater de Coacis prænotionibus, citra sexagesimum annum non amplius gigni lapidem, ob defectum scilicet agentis. Quod si etiam minus assequuti fuissemus, poterat tamē propriam vitæ periodum perficere, vt constat apud Galenum. Flatus autem exitum habentes, vt semper habuerunt, rationis metas egreditur, quod occidant, & eò magis cū dolorem non efficerent. Leuis verò colli vesicæ excoriatio sanatur; cum asserat Auicennas, vlcera difficulter sanari in vesica, duplicem ob causam, quia videlicet cū neruosa sit, difficilius conglutinari potest: quæ difficultas hìc locum non habet; collum enim carnosum est, & leuis excoriatio glutinatione non indiget: tum etiam propter continuam mingendi irritationem ex vrinæ acrimonia, quæ etiamsi adesset, nihil tamen amplius sanguinis apparebat, certissimum signum, eodem Auctore, iam curari; neq; etiam puris, quod renum vlcera certissimè sanari demonstrabat. Reliquum est igitur, vt ostēdamus pulmonum morbos vltimis superuenisse diebus, qui nulla lege medica prçuideri poterant: nam luce clarius est ob tales affectus mortem obijsse. Ex dictis autem classicorum doctorum hoc facile colligere datur; neq; enim putredinem passi sunt pulmones, sed adustionem; ex quo mors; cum amplius respirationi in-

seruire non valerẽt ob nimiam ipsorum exiccationem, vt videre est apud Aristotelem lib. de respiratione; ibi enim habet, quod si naturaliter exiccatur pulmo, naturalis mors fit; si verò non naturaliter, innaturalis mors resultat. Violentas autem causas ita describit; Morborum autem genera, quæ pulmones duriores efficiunt, aut pānis, aut excrementis, aut pestifera caloris redundantia, quod in febribus accidit, spissum, vitalem, obdensumq; spiritum reddunt; quandoquidem ipsi pulmones non admodum latè aut efferri, aut comprimi possunt. Denique cum facultatem ita mouendi amiserint, efflantes è vita discedunt. Quod autem longo temporis tractu putredinem nō contraxerint, clarè ex signis quæ in vita aderāt, quæ in morte, & tandē ex anatome innotescit; cū nunquam in vita tussi, praua vè, siuè mala respiratione laborarit: quarum tamen passionum altera saltem necessaria est: egrediente enim aere per expirationem, si aut humoris, aut alicuius alterius corporis impedimentum adinuenerit, tussim vexare necesse est, vt benè notat Fernelius, quæ quidem cum sputo est, si materia non sit tam subtilis, vt impetum erumpentis aeris subterfugiat, aut si tantam habeat crassitiē, vel viscidit atem, vt eleuari, sursumq; ferri minime possit; & tunc temporis rarior fit tussis, multò tamen validior, ita ut si maximo tussiatur impetu, materiæ aliquando educantur crassæ, & viscidæ quibus ab affectionibus semper liber fuit, sicut etiam à deprauata respira-

tione, quæ ab ijſdem fit humoribus, aliquando etiam ob obſtructionem ſibilum cauſantibus, aut ob intemperiem. Perponderemus, quæſo, quomodò in tali parte, temporis interuallo, fit lapis, aut tophacea materia. Hoc elegantiſſimè à Fernelio, de mente omnium Doctorũ, habemus; inquit enim, quòd ſi humor tam brunchijs, quàm cauis ipſorum pulmonum plurimùm impactus fuerit, vt nullo conatu diuelli ab ipſis poſſit, vt totus expuatur, tẽpore magis incraſſeſcit, & ex caloris actiuitate exiccatur, fitq́; pituita vitrea, aut gypſea vocata, & cum continuò magis incraſſeſcat, & exiccetur, fit lapis. Cumq́; nunquàm talia accidentia perpeſſus ſit ęger, quę de neceſſitate lapidis generationem antecedunt, concludatur, qđ alio modo dicta materia tophacea genita ſit, atq́; exiccata. Addamus etiam nõ cõuenire putridos pulmones, & lapides in ipſis; ex lapidibus enim ſiuè tophacea materia caloris ſupra humiditatem prędominium arguitur; ex putredine verò humoris ſupra ipsũ victoria. Dilucidarunt hanc veritatem, quæ ſuprema nocte ſuperuenerunt; in ipſa enim multis, vehementiſſimiſq́; doloribus cũ maxima totius corporis agitatione, iactationeq́; torquebatur; quod minus fit in ijs, qui ob putridos flaccidoſuè pulmones perierũt. Hoc tandẽ clarum reddat anatomia. Qui enim aſſereret cinericium colorem putredinem denotare, ſe omnimodè putredinis quiditatem ignorare patefaceret. Quod enim putridum eſt, multa ſcatet humiditate in ſuperficie, & inter-

Aſthmi, & orthopnœa calculi tpe facti gñonẽ antecedunt, cũ cumulet mã ex diſtillationib. anteq̃ lapideſcat (vt Fernelius) à q-bus fuit liber.

interminata, didiciq; talem humiditatem supra terreá materiam efficere opacitatem, & non albedinem, illequemet Aristoteles, qui passiuarum qualitatum supra actiuas dominium putredinem esse docet, libello de coloribus habet, lucis multum albedinem cõtinere: videat modò quisq; si putredinis interminata humiditas faciat lucem, aut opacitatem. Hinc est, quòd etiam affert humiditatem in terrea materia nigredinem parere, etsi terra, & aqua albæ sint. Quod etiam confirmatur experientia: videmus enim materias albedinis, & splendoris non parùm amittere, cum putridæ redduntur. Cum etiá omnia illis in partibus sicca adinuenta sint, quis dixerit, putredinem, quæ in superficiali humido consistit, posse in eadem superficie siccitatem parere, friabilitatemque ab ipsa dependentem? Cum igitur supradictis rationibus constet nullo pacto putruisse pulmonem, neq; lógo tẽpore genitos fuisse lapides, siuè tophaceas, calcinosasuè materias, declaremus necesse est; qui fuerint illi morbi, & quomodo breui geniti sint. Sciendum igitur est, pulmonum substantiam siccam esse: factam, vt docet Hippocrates libro de carnibus, à caloris actiuitate: & quamquàm Galenus humidam eam ponere videatur, loquitur, vt affirmat Fernelius, propter aerem, atq; fluxiones, ꝙ tñ propria eius substantia sicca sit, potest clarè videri ex supracitato Hippocratis loco; ibi enim docet pulmones gigni, nõ secus ac spuma exiccata fit; & affirmat idem continuò aliquam humiditatem ad ipsos

 trans-

trãsferri, dum bibitur: vt humidi manuteneant, ac ne inflammentur; cui etiam arridet Aristoteles, tum etiam colligitur ex nutritione; biliosiori enim sanguine per arterialem venam nutritur: quæ omnia clarè demonstrant habiles, dispositosq; combustioni. Philosophorũ Princeps Metereologicorum quarto, materias eas adustibiles asserit, quæ à calido coagulatæ sunt, meatusq; secundum longitudinem prorectos, aereaq; humiditate repletos habent. Galenus etiam dum scribit, quænam caliditate polleant, quæ inquit, si in ignem proijciantur facillimè flammam concipiunt, nisi hoc proueniat aut nimia materiei subtilitate, vt in palea, aut ratione pluriũ meatuum, quos aere repletos habeant, vt in ligno contingit. Potest ergo vnusquisq; facillimè cognoscere, pulmones, qui tenuitatem, meatusq. plurimos aere repletos, vt spógia, cui à grauissimis assimilãtur auctoribus, & secundum longitudinem prorectos, cũ respirationis sint instrumentum, habent, facilè comburi posse. Ijs igitur ita se habentibus, si ponatur agens, sequentur affectiones, quas ꝑpessus est. Primo igit̃ suppressa fuerunt sputa, habuit ad somnũ procliuitatem, passus est ante aliquot dies dextri oculi lachrimationem; vltimisque diebus florido colore efflorebat facies, malaq; respiratione vexabatur, cum maxima agitatione, atque vrgentibus doloribus in dextra parte vltima die, qui vsque ad mortem non cessarunt; faciliusq; in dextra, quàm in opposita parte decumbebat, tandemq; adustus fuit pulmo ab

acrioribus ichoribus in anterioribus partibus, ad quas tales acres fluxiones descẽdebãt, ab oculi lachrimatione, à vultus efflorescẽtia, & vrinæ maiori acrimonia (sæpius enim, sed parcius meiere cogebatur) q̃ oĩa originẽ duxerunt à materię serosę, & acris, siuè atrabiliariæ ebullitione, & fluxione, cum ipse talis esset temperici; videre est enim apud Hippocratem secundo Epidemiorum balbos, celeriq; lingua præditos atrabiliarios esse; & eò magis cum debita alui exoneratione nõ frueretur, antequã Pater meus ei Medicinam faceret; cum habeamus ab Hippocrate epidemiorũ sexto, Similiter, & sanguineũ, & biliosum corpus atrabiliarum fit, si non habeat euacuationes: tum etiam cũ distillatio fuerit ab ebullitione causata ob vehementes ęstus in principio ęstiui solstitij, & in nouilunio; cum doceat idem Auctor libro de aere, locis, & aquis, tale solstitium maximè periculosum, q̃ fuit decima quarta Iunij, in qua maximè cõquestus est Illustriss. ægrotans, & interrogauit Medicos, vtrum tũc temporis esset aliquis cœlestis influxus, aut mutatio, & propè solstitij finẽ obijt, vigesima scilicet quarta Iunij. Cũq; in principio distillationis totaliter, neque exiccatus, neque combustus fuerit pulmo; sed adhuc resisteret, vapores dulces causabat, à quibus ad somnum procliuitas, vultusq; efflorescentia procedebat. Exiccatus tandẽ anhelitus difficultatem effecit, cum flatus liberum exitum amplius non haberet, ex quo incrassati, maioresq; redditi ob pulmonis debilitatẽ, ob maximã agitationẽ

extensionemq; siuè diuellicationem, dolorem in dextra parte causarunt; quod omnium clarissimè adnotauit Fernelius ob membranæ maximum coaffectum, & tandem exiccatus, adustusq; redditus ex flatuum restrictorum acrimonia pulmo cordis calorem amplius ventilare nequiuit, hacq; de causa melius in dextra, quàm in sinistra decumbebat: dextra enim cum omnimodè desiccata esset, & adusta, nullo pacto ventilare poterat; quod melius præstabat sinistra, si non erat oppressa. Hoc autem certissimum indicium sit paucis præstatu hoc fuisse diebus; quòd neque siti, neque dixerim ethica, sed neque febre laborarit: cum enim calor, vt ita loquar, intra pulmones circumseptus esset, non potuerunt ob affectus celeritatem ipsum aut ori ventriculi, aut cordi communicare, quod attestantur vicinæ partes, quę naturaliter se habebant. Quoniam tamen id, quod crassum, terreumq; erat, minimè euaporare poterat, à flatibus exiccatum, & à calore humidis, subtilioribusq; partibus dissipatis, in illos calcinosos, tophaceos, atq. friabiles lapides, ad quorum generationem maximus requiritur calor, transmigrauit. Nec obijciatur in febribus ardentibus maximam vigere caliditatem, nullam tamē sequi adustionem: diluit enim difficultatem superior locus Arist. habet enim pestifera caloris redundantia, & non ardenti, flatū vitalē obdēsum, atq, spissum reddūt: pulmones enim non possunt liberè fuligines, flatusq. extramittere; contra autem in ardenti calor in materia valdè subtili

existens celeriter,libèreq; ęgreditur,pulmonesq; eum liberè abire sinunt, & expellunt: vndè in magis crassa materia necesse est, existat, vt in illis partibus restrictius actionem suam reddere valeat, in tali etiam materia magis actiuus existens, non partis naturale humidum minorauit, sicut cum ex Auerrois sententia putredo fit: sed totum dissipauit,non inquam,ipsum ad superficiem adduxit,ibique indeterminatū reliquit, sed breui valdè tempore dissipauit,atque in flatus deduxit,quo quidem dissipato,cum non amplius continuantem humiditatē haberent,in se ipsos adusti ceciderunt, adinuentiq; sunt à pleura non minimum distantes, colorisq; cineritij in anterioribus partibus remanserūt. Ex quibus probatū, demonstratumq; habeo prognosticum Excellentiss. Patris mei canonicè,& doctissimè, & non casu factum. Si quis autē discurrendi occasionem prębuerit; hanc prouinciam veritatis,potius vi, cuius radij non secus ac solares, etiamsi dēsissima nubium caliginē obruti splēdescunt,quàm intellectus mei iuuenilis acumine confisus libentissimè suscipiam. Deo O. M. fauente, cuius laus, honor,& gloria per omne æternitatis æuum.

Finis Discursus.

VIctus ratio erat attenuans. Vinum lymphabat radicis altheæ decocto, idemq; calefactum singulis diebus i aurora sumebat, & in vesperis, ieiuno stomacho, prout concessum erat; post cęnam sumebat saccharum rosaceum, & aliquandò deuorabat grana tria, aut quatuor masticis modò mane, modò in vesperis: nonnũquàm abluebat os aquà naturali. Alternis diebus, aut tertio quoq; die indebatur clyster ex omasi decocto, cum butyro, & oui luteo recentibus, sed sero nimis, vt patet ex discursu.

CAdaueris anatomica descriptio extat apud Magnificum Octauium Castiglionum publicum Notarium, firmata manu Magnifici Domini Ioannis Baptistæ Schiatini Medici, & Chirurgici celeberrimi, cadauerisq; sectionis actoris.

D. Marcellus Baldass. pro Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinali Archiepiscopo Bononiæ.

Imprimatur Frater Hieron. Consultor Sancti Officij, & Ruerndiss. Inquis. Bonon.